



Nr. 14

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
NONA,

QVA

35

# COMMENTUM DUPLICIS INCARNATIONIS JESU CHRISTI,

*QUOD VIR CL. PETRUS POIRET,  
ERRORIBUS SUIS DE CHRISTI  
SATISFACTIONE INTER ALIA SUBSTERNIT,*

IN ALMA FRIDERICIANA

*Die Decembris hujus M DCCXIX anni  
curate examinatum disiectumque refutatur:*

P R A E S I D E

D. JOACHIMO LANGIO,  
S. THEOL. PROF. ORDIN.

ET RESPONDENTE  
GODOFREDO NASSIO,  
BILFELDENSI WESTPHALO.

61.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis, JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

DISTRACTIONE ANTHOPESTIVARUM  
NON

COMMUNITATIS

DUPPLICIS

INCARNATIONIS

IBUS CHRISTI

ROBUSTIA ET CRISTI

SALVATIONIS ET RAVISSIMI

ANIMA EUDOMIA

DOMINICIS

CHRISTI

LOGOCRISTIANIS

CONCILIIS

CONCORDIA

CONFUSIONIBUS



## LECTORI VERITATIS AMANTI

*Salutem plurimam,*

a & in CHRISTO JESU!



Ostquam doctrina evangelica  
de Christi REDEMPTIONE &  
SATISFACTIONE, integra &  
catenata Propositionum xxxii.  
serie, Dissertatione VII. & VIII.  
fuit proposita ac demonstrata,  
isti, tanquam *thesi*, nunc *auerse*  
quidem subjungenda fuisset antithesis viri Cl. PE-  
TRI POIRETI, una cum ejusdem dialysi. Verum  
enim vero foget is non exiguum errorem de *ipsa*  
*persona Christi*, duplicem statuens Filii Dei *euangel-*  
*euos*, seu *euangelion*, priorem in paradyso factam,  
ex Adamo, adhuc in statu integratis con-  
stituto, gloriose corpore assumto; po-  
steriorem subsecutam e Maria virgine. Qui de  
*persona Christi* error cum istos, quos de *officio e-*  
jusdem

PRÆFATIO.

4  
jusdem habet, ordine naturæ præcedat, non im-  
merito mihi visus est proximam sibi postulare  
Dissertationem. Tres proxime sequentes offici-  
um Christi sacerdotale & *inclusum*, quod in RE-  
DEMPTIONE, seu SATISFACTIONE & EX-  
PIATIONE FORENSI consistit, a Poiretianis  
corruptelis vindicabunt. Aget vero speciatim

DECIMA de Christi Interventione ac Intercessione, qualem  
*ipſi Poiretus tribuit ante ipsam evocacionem.*

UNDECIMA de absoluta humanae Christi naturæ *avocatio-*  
*ncta, & de falsitate hypotheseos Poiretiane, qua ipſi, e-*  
*falso supposito assumte ipsius labis inhaerentis, pugna-*  
*& victoria adversus labem istam inhaerentem tribuitur.*

DUODECIMA, & Dodecadis prioris ultima, de per-  
pessionibus Jesu Christi, ejusdem sacrificio & satisfac-  
tione, in dialyti corruptelarum Poiretianarum.

Creville hunc laborem sub manibus per opposi-  
torum errorum segetem, eamque multo largio-  
rem, quam primum credideram, jam indicavi in  
præfamine Dissert. III. & VII. Et hoc ejus in-  
crementum fuit tantum, ut nova & integra mihi  
Dodecada opus sit: de cuius oeconomia & ordi-  
ne pluribus agam in præfatione Dissert. decimæ  
tertiæ, quæ DODECADIS POSTERIORIS prima erit.  
Spero hanc hujus instituti extensionem non in-  
gratam fore illis, quibus evangelicæ doctrinæ ve-  
ritas curæ cordique est. Vale, lector benevole,  
in Domino!

PRO-

PROOEMIUM (o) DOGMATICUM  
DE

HUMANA CHRISTI NATURA.  
PROPOSITIO.

**F**ilius Dei non adsumsit bis & duplicem humanam naturam, unam ex Adamo gloriosam gloriosi corporis, alteram e Maria humiliam, corporis humilis; sed unam tantum & semel e Maria virgine.

DEMONSTRATIO.

1. *E silentio Scripturæ de priore illa ἐνσαρκώσει.* Si illa facta esset, omnino magnum esset mysterium. Mysterium vero ἀγέαφον credere, repugnat fidei & universæ religioni christiane. Nam in rebus fidei a defectu testimonii Scripturæ argumentandum est *negative*, scilicet ut nequaquam credamus, quod Scriptura fidei nostræ inter credenda non proposuit. Mysteria uti pie credenda sunt, si testimonii scripti evidētia nituntur; sic eo destituta nequaquam sunt admittenda, nisi fidem nostram arenæ voluerimus superstruere.

2. *Ex illis Scripturæ testimoniosis*, quæ de mysterio ἐνσαρκώσεως agunt, & hanc non nisi ut unicam describunt, in constituto temporis plenitudine factam, & ad Mariam virginem relatam Matth. I. Luc. I. II. Jo. I. 14. Rom. IX, 5. Gal. IV, 4. Hebr. II, 14. VII, 13, 14. Quorum

6 PROOEMIUM DOGMATICUM

rum locorum emphasis recte ponderata indicat, hypothesin de duplice, seu priore Christi ἐνσαρκωσει non solum esse ἄγραφον, sed etiam ἀντίγραφον, seu his ipsis locis repugnare.

3. *Speciatim e loco Joannis c. I, 14.* ubi λόγος dicitur *caro factus.* In qua propositione subiectum, λόγος nec potest nec debet aliter intelligi, quam de sola divina Christi natura, ita ut sit synonymum *Filius Dei*, & concretum solius divinæ naturæ. Non dicitur hic homo, sed λόγος, factus homo. Huc refer loca de missione Salvatoris, ubi mittendus, qua talis, nunquam vocatur *homo*, sed *Filius Dei.* Jo. III, 16, 17. X, 36. Gal. IV, 4. &c.

4. *E loco 1 Tim. III, 16.* ubi non *homo*, sed *Deus* dicitur manifestatus in carne.

5. *E præstantia humanae Christi naturæ, e Maria assumptæ.* Quæ quia inhabitantem habuit plenitudinem divinitatis, utpote cum hac arctissime unita, ejusdemque perfectionibus uncta. Col. I, 19. II, 9. Psalm. XLV, 7, 8. Hebr. I, 8, 9. &c. satis habuit & exseruit gloriæ, ita ut ipsi nequaquam opus fuerit alia humana natura, gloriæ & subtilitatis præstantia ab hac distincta. Conf. Jo. I, 14. Huc refer diversum Christi statum, *exinanitionis & exaltationis*, in eo fundatum, quod Christus infinitam divinitatis gloriam, cum humanae sua natura communicatam, in occulto gesserit, seu a pleno ejus usu ad mortem usque abstinuerit, eundem vero inde a resurrectione per diversos gradus resumtum pleno jubare exseruerit. Admissa autem Poiretiana hypothesi, tota hæc de statu Christi doctrina corrumptitur. Negata enim humanae Christi naturæ, quam in Maria assump-

## DE HUMANA CHRISTI NATURA.

7

assumfit, gloria, vi unionis hypostaticæ communicata, negatur ejusdem *exinanitio*, seu pleni usus abdicatio: negata vero exinanitione negatur etiam *exaltatio*, nimurum veri nōminis, ad eandem humanam naturam relata, & in exerto pleno communicata gloriæ usu posita.

6. *E sensu locorum istorum, quibus in V. T. Messie corporalis apparitio adscribitur, nativo & genuino, si istam apparitionem in sensu cadentem tribuamus corpori alicui, non ἐποστατικός & in perpetuum, sed tantum παραστατικός & ad certum tempus per modum omnipotentiae assumto.* Qualem corporum παραστατικόν etiam angeli creati habuerunt, quoties patriarchis aliquisque sanctis apparuerunt. Jam si historia angelorum creatorum requirit omnino, ut in ipsorum ministerio admittamus ejusmodi humani corporis speciem & usum plane singularem, nec tamen hic quidquam absurdum deprehenditur, sed potius rationi convenit, ut Deus cum hominibus humanitus, et si modo ob omnipotentiam admirando, agat; ecce hunc humanum cum hominibus versandi modum ipsi Angelo αντίση φ denegaremus?

7. *E consensu universali ecclesie christiane omnium seculorum, omniumque cattorum ac confessionum publicarum.* Et si argumentum, a consentientium multitudine desumptum, alias firmum non est; hoc tamen non parum habet roboris, quod ab unanimi consensu eorum, qui in multis aliis doctrinæ capitibus dissentiant, desumitur. Hic enim ipsorum consensus ostendit, tantam subesse testimoniorum & ipsius rei evidentiam in mysterio unicæ incarnationis, ut iis, qui alias etiam in aliis

aliis doctrinis satis perspicue traditis in diversa abeunt, diffensum non permiserit. Ab ista vero christianorum confessione universali qui abierint, fuere paucissimi, suæ indulgentes phantasie, seu falso creditæ revelationi *ἀπόστολος* datae, ut olim Valentiniani, & circa ac post tempora repurgatorum sacrorum nonnulli Anabaptiste & Weigeliani: qui tamen in eo a Burignonia & Poireto abierunt, quod statuerunt, Christum humanam suam naturam e cœlo secum detulisse, & per uterum Mariæ, tanquam per canalem, transfiisse.

8. *Ex absurdo multiplici de corpore uno aliis super induēto, & de una persona duas animas humanas duoque corpora habente.* Quem absurdorum cumulum quod ab hypothesi sua nequaquam sejungere posse Auctor, & sequenti ejus tractionis dialysis constabit, præcipue ea, quam duo ultima ejus loca habent. Prior quidem *ἱστάγματος* non nominat incarnationem: re tamen ipsa *ἐν αὐθῷ πάντοις* illa, quam Christo ex Adamo tribuit, eodem reddit.

## IPSA TRACTATIO ELENCTICA IN DISCUSSIONE ERRORIS POI- RETIANI, Oeconom. L.II. c. XI.

### Locus I. §. XV. p. 496.

*Quoniam facultates inferiores & sensuum ipsomet Deo certo modo frui poterant; & Deus corporaliter quodammodo cum homine communicari poterat, hinc sequitur, Deum illud non tantum ex eo tempore facturum se decrevisse; sed & re ipsa fecisse; statim ex quo homo creatus fuit; namque homo jam ex eo tempore auxilio illo indigebat, ne impressio-*

*nibus*

## DE HUMANA CHRISTI NATURA.

nibus vividioribus totius mundi, sensuum suorum, imaginationis & rationis vehementius occupatus a Deo deslegeret. Nam quicquid sit, quamquam in objectis externis nihil usquam pateret, praeterquam quod a Deo, & quamquam singula eum magnificentissime representabant; nihilominus tamen id nec tam directo, nec tam vivide fiebat, quin homo interim facilissime perceptionibus sensuum & objectis ipsis sic adhucere potuerit, ut per ea ad Deum usque non ascenderet. Deus ergo, ad facilitatem tantam distinctionis occupationisque in objectis & sensibus materialibus tollendam, poterat facile partem materie, seu corpus quoddam particulare assumere, imo id ipsum & mente creatu animare, & se ardissime per potentiam, per lumen (seu verbum suum) & per Amorem suum cum eo unire; qua ratione effecturus erat, ut haec creatura, hoc corpus dicendum ab ipso animatum proprium corpus Dei atque instrumentum organumque foret, quo ipse Deus cum facultatibus, etiam inferioribus communicaret, rationem occuparet, sensus moveret, passiones & excitaret & satiaret, imaginationem exerceret, hominem ubique duceret, ac in operibus omnibus Dei tum frumentis, tum contemplandis comes & socius ei adesser. Hec certe Deus ope corporis jam tum assumendi efficere poterat: adeoque facultatibus hominis inferioribus & corporalibus jam ex eo tempore licebat tanta beatitudine tantoque adjumento frui, ut ipsum Deum corpore ac anima indutum familiariter secum conversantem, ac susceptioni sue consulente vidissent.

### Disquisitio hujus loci.

I. Tota demonstrationis vis hic apud auctorem nostrum reddit ad Dei potentiam; siquidem <sup>et</sup> poterat

B

hic

## 10 IPSA TRACTATIO ELENCTICA

hic ter urget: *Deus, inquiens, corporaliter quodammodo cum homine communicari POTERAT.* Item: *Deus POTERAT facile partem materie, seu corpus quoddam particula-re assumere.* Porro: *Hac Deus ope corporis jam tum as-sumendi efficere POTERAT.* Quis vero nescit a τῷ posse ad τῷ esse non valere consequentiam?

2. Mirum sane est, virum alias doctissimum, nec mathematicæ demonstrationis imperitum, qui etiam in integro systemate suo evidenter mathematicæ speciem præ se fert, certe affectat, arguento adeo fulneo & arenoso prodire in medium, eique novum plane & alias inauditum fidei mysterium superstruere, & illud universo orbi christiano obtrusum ire. Probandum ipsi erat quam maxime, Filium Dei voluisse statim ex Adamo, eique adhuc in statu integratatis constituto humanum corpus assumere, & hoc eum ipso actu & effectu adsumisse. Sed pro eo hæret in nuda Dei potentia. *Deus, inquiens, corporaliter quodammodo cum homine communicari POTERAT,* HINC SEQVI-TUR (en! argumentum viro docto sane indignissimum, quo a potentia ad voluntatem ipsumque effectum consequentia dicitur) *Deum illud non tantum ex eo tem-pore facturum se decrevisse, sed & re ipsa effecisse, statim ex quo homo creatus fuit.* Certe fictionum nullus futurus esset finis, si hæc argumentandi ratio procederet.

3. Hominem jam tum in ipso integratatis statu isto corporalis conversationis auxilio, ipsi a Filio Dei in assumto corpore præbendo, eguisse, Burignonia-num est commentum, quod uti ne ulla quidem veri specie nititur, sic haud obscure in status innocentiae præju-

DE HUMANA CHRISTI NATURA. II  
præjudicium cedit. Atque ita simul concidunt reli-  
qua Poiretiani loci pigmenta.

## Locus II. ibid. §. XVI. p. 497.

Nunquam veritatem basce attigissem, nisi lumina, quæ  
Deus nonnullis ex Sanctis suis revelavit occasionem mihi fa-  
cere que præculissent. Et liceret quidem hic remittere le-  
torem ad scripta nonnulla [virg. Burignon librum, qui in-  
scribitur, Lapis Lydius &c.] ubi principia rerum omnium so-  
lida invenire licuit; verum lubet in solis Scripturæ sacra te-  
stimonis subsistere, barum rerum certitudinem divinam o-  
perte satis inculcantibus. Vide sis saltē, quomodo, nar-  
rante Scriptura, postquam homo creatus fuerat, Deus corpo-  
raliter cum eo conversatus fuerit, ei apparuerit, & verba  
fecerit; imo & paulo post Adami lapsum inter arbores hor-  
ti obambulaverit. Narrat eadem, Deum (jam tum homi-  
nem factum,) postea aliquoties corporaliter apparuisse Abra-  
hamo & pluribus aliis Sanctis; nec non Iacobō, qui pugnam  
amoris init cum homine, qui erat ipse Deus, quo fiebat ut  
exclamaret Patriarcha. Gen. 32. v. 30. Vidi Deum facie ad  
faciem. Sic idem Deus eodem modo visus est Iosuæ, Gedeo-  
ni, Manoë, Elië, Esaïe, Ezechieli, Danieli, & imprimis  
Mosis, quocum de facie ad faciem, uti amicus cum amico,  
colloquebatur, nube tamen tectus, quod fragilitas hominis,  
jam mortalis, ac corrupti, gloriam vivam corporis Dei, quod  
Semper gloriosum (quale corpus hominis primi) remanserat,  
non amplius ferre valeret. Cumque Moses, cum in obscuri-  
tate nubis presentem compellans, dixisset. Exod. 33. v. 18. 29.  
&c. & cap. 34. v. 5. Ostende mihi gloriam tuam: respondit  
Deus: Faciem meam videre non poteris: non enim videbit  
me homo, & vivet. Stabis super petram: cumque transibit  
gloria

## IPSA TRACTATIO ELENCTICA

gloria mea - - protegam te dextera mea donec transeam: tollamque manum, & videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris. Ubi historia ostendit, ista sic revera accidisse cum circumstantiis suis omnibus materialibus. Quis vero non videt, veritatem hanc raram hisce ita comprobari, ut nihil apertius, nihil expresius dari possit? Sic Israëlite in exitu suo Deum corporaliter præsentem (eum Scriptura Exod. 3. v. 2. 6. Esa. 63. v. 9. Auctor. 7. v. 30. 32. 35. 38. Angelum Legatum Dei vocat, & Deum ipsum fuisse dicit) ducem habuerunt. Verum instituti nostri non est, huic veritati ostendende longius nunc inhærere; alibi forte [vid. Oecon. Repar. ante Incarnat. cap. XVI. §. 3. &c.] ejusdem consideratio recurret.

## Disquisitio hujus loci.

1. In Poiretiano hoc sermone duo occurruunt, erroris fundamentum & ejus colores. Fundamentum novi & erronei dogmatis Auctor ponit in revelatione, non quam Scriptura sacra habet, sed quam nonnullis e sanctis, quos vocat, Dei adscribit, ipsis *ānētōs* factam. Id quod vel indicasse, est refutasse. Quando enim finis esset mysteriorum, & quis futurus esset locus mysteriis in facro codice patefactis, si hoc arcanæ revelationis principium, quod, si unquam alias, certe in rebus fidei est falso creditum, admitteremus?

2. Speciatim vero Auctor hic commendat magistrum suam Burignoniam; utpote ad cuius librum, quem Latine *Lapidem Lydiūm* vocat, in apposita notula lectorem suum expresse remittit. Verum enim vero Salvator noster ait: *Habent Mosen & prophetas, &c.* Quos quia fundamenti loco allegare haud potuit Poiretus,

DE HUMANA CHRISTI NATURA. 13  
retus, nequaquam audiendus est, quidquid dicat de  
solidis rerum principiis Burignonianis.

3. *Colores vero sententiae sua idem querit in Scriptura testimoniis; non autem invenit. Illa enim allegat, quæ agunt de ea Dei, præsertim Filii Dei, συγκαθόστι, secundum quam, cum hominibus acturus, corpus aliquod humanum ex singulari oeconomia παρεξαστινος ad tempus aliquod assumpsit, & rursus depo-  
suit. Ex quibus locis si firmum duceretur argu-  
mentum ad veram ιντάκωσιν, etiam angelos  
creatos verum & naturale humanum corpus habere  
statuendum esset; utpote qui non semel humano cor-  
pore ac more hominibus apparuerunt & cum iis ser-  
mocinati sunt. Vide supra Propositionis veræ ar-  
gum. VI.*

4. Hic etiam sine fundamento supponitur, pri-  
mi hominis corpus ante lapsum fuisse gloria sum, eo  
scilicet gradu, ut cum gloria Domini, quam in co-  
lumna nubis & ignis exhibuit, possit comparari. Et  
hæc ipsa hypothesis eo minus convenit systemati Poi-  
retiano, quo plus secundum locum præcedentem in-  
tegritatis statui detrahit.

5. Arenosæ sententie signum est, quando Au-  
tor allegatum locum his finit verbis: *Verum instituti  
nusri non est, huic veritati ostendendæ longius nunc inha-  
rere; alibi forte (vide Oecon. Repar. ante Incarnat. c. XVI.  
§.3. &c.) eiusdem confideratio recurret. Novum plane &  
inauditum dogma universo orbi Christiano obtru-  
sum ire, ejus vero demonstrationem deserere, & quia  
est in τῷ ἀδύνατῳ, hac detrectare excusatione: instituti  
ratio non est &c. frivolum sane est, bonoque ac docto-*

scriptore plane indignum. Allegato autem loco ipsum nihil in medium proferre solidius, deinceps videbimus.

### Locus III. ibid. §. XVII. p. 498.

*Quod si queras, unde ergo Deus hoc corpus assumserit? respondeo, procul dubio ex aliquo corporum eorum, que ad oeconomiam Universi hujus spectabant. In corporibus autem his omnibus, nullum ad hoc magis idoneum aderat, quam corpus hominis primi, qui principium secunditaris in se habebat, unde alii ei similes prodirent. Neque verosimile est, Deus, qui cum homine in corpore corpori humano simili conversari volebat, cum liceret corpus illud ab homine ipso assumere (quo factio homini intimior & conjunctior, filius & frater hominis futurus erat,) occasionem hanc conjunctionis adeo arte cum homine dimisisse, ac massam potius aeris, aut terre, aut altud quid minus dignum, praे homine eligere voluisse. Et revera, Scriptura Christum, (qui est idem ille Deus, seu Verbum eternum naturae humanae juncatum,) censes, tum filium hominis & Adamum secundum, tum fratrem hominum appellat passim,*

### Disquisitio hujus loci.

I. Quam se a præsidiis omnibus nudum præbuerit Auctor in questione: *an, an filius Dei jam tum ante lapsum corpus humanum assumserit; vidimus.* Eandem argumentorum inopiam hic prodit in questione *quomodo ista ἴνσάρχωσις facta sit?* Procul quidem, inquit, dubio ex aliquo corpore eorum &c. sed ubinam vel minima est alicuius argumenti species, que ab audacissimo hoc adserito omne dubium removeat procul?

z. Re-

DE HUMANA CHRISTI NATURA. 15

2. Reliquus Auctoris sermo redit ad hoc argumentum: *Si Deus humanum corpus jam ante lapsum voluit assumere & revera assumxit, sequitur, istud ab eo assumptum fuisse, non ex massa aeris, aut terra ac rei aliis minus dignae, sed ab ipso homine primo, Adamo.* Sed falsissimum est prius; quod tamen, tanquam solide demonstratum datumque, supponitur: ergo etiam posterius.

3. Nec firmius est argumentum, quod posteriora loci verba habent: *Filius Dei vocatur filius hominis, Adamus secundus & hominum frater: Ergo ex ipso Adamo humanam naturam assumxit.* Hanc enim consequentiam a vero esse alienissimam, quis vel tiro theologiae biblicae ac senioris logicæ non videat? Universus diversarum confessionum orbis christianus novit, *Filium Dei* etiam *filium hominis*, *secundum Adamum & fratrem hominum* vocari, nec ignorat hujus appellations rationes; ex quo tamen vix ulli inde in mentem venit novella illa opinio de paradisiaca ista ινσαριώσει.

4. Paragraphus Auctoris sequens, seu XVIII. nihil habet, nisi principii petitionem, qua suo ingenio indulgens nova ista θεολογέμενα sua commendare satagit. Considerabimus nunc locum istum, quem Auctor ex Oecon. L. III. allegavit.

Locus IV. Oecon. L. III. c. XVI. §. III.

p. 796.

Hoc vero (quod de apparitione & revelatione dictum est) commodissime siebat per presentiam ipsius Liberatoris, Iesu Christi, qui ipse Deus, jam ante tum Adami lapsum (uti supra Oecon. pecc. cap. XI. §. 15. &c. ostendimus) homo factus

*Ans erat. Is quantum ad Divinitatem pariter, corpusque & animam, Iſraēlitis apparuit, imo & inter eos habitavit, ubi tamen gloriam divini Corporis sui nube aut flamma obtexit; infirmitas namque naturæ nostræ corruptæ impressiones ejus puras sine resolutione ferre non potuisset; perinde atque metallæ impura intensissimo calori exposita sic dissolvuntur ut pars corruptibilis ab incorruptibili secernatur. Cum autem Christus nollet hominibus per impressiones gloriae suæ vivæ mortem infligere, densa quadam nube se se abscondit, atque adspectum gloriae suæ impedivit. Et sane quando Moysi conspectum divini vultus sui concedere noluit, eam hujus voluntatis suæ causam afferit, quod conspectus ille Moysi (Exod. 33. v. 20.) mortem intulisset, quem tamen in vires adhuc superesse vellet. Hinc exclamatio illa fidelibus adeo frequentata quando Christus iis apparuerat, ut in Gedeone ac parentibus Samsonis videmus: (Jud. 13. v. 22.) Moriemur, quia vidi mus Deum,*

### Disquisitio hujus loci.

1. Provocat hic Auctor ad sententiae suæ demonstrationem supra in discussis locis factam. Quam vero inepte ibi steterit, vidimus. Nec est, quod hic solidiora expectemus.

2. Quod Christus *densa nube gloriam suam absconderit*, verum est, sed falsum, quod divinum habuerit corpus & istius corporis fuerit gloria. Potius gloria ista, seu gloriosus splendor, in media nube resplendens fuit *imago ipsius divinae nature*, nubes vero ipsa *humane*, a perfectionibus divinis aliquando penetrandæ & replendæ; vide, quæ de hoc mysterio typico dicta sunt in *mysterio Christi ac christianissimi typico p. 84 seqq.*

3. Ce-

3. Ceterum fatetur hic Auctor, Christum non solum *corpus*, sed *animam* quoque *humanam*, habuisse. Utrumque vero ex Maria assumuit. Ergo persona fuit duplex. Quod absurdum jam supra ostensum Auctor nulla ratione effugiet.

### Locus V. ibid. §. IV. p. 797.

*Itaque Deus ille magnus ipsem ad Mojen atque Isra-  
ëlitas descendebat, & vere ac proprie iis loquebatur atque  
cum iis ambulabat, per sacramentum nempe humanitatem  
suam, quæ erat Nuntius ille, Angelusque & Messias jam tum  
revera existens corporeque & anima Divinitati unitus. At-  
que talis erat duxor ille & servator populi Dei. Sacre ta-  
bule hæc tam manifesto declarant, ut mirari subeat supini-  
tatem (ut sic loquar) qua non videmus, quam parum ratio-  
nis, quantum violentie, & quantum incommoditatis habe-  
ant interpretationes omnes allegoricæ, quas in apparitioni-  
bus Dei Moſi atque Israëlitæ vissi vulgo afferunt, idque vel  
maxime in (Exod. 33. v. 10. &c.) visione illa omni veneratio-  
ne dignissima & circumstantiis omnibus tam accurate exposi-  
ta, ubi Deus Moſi dorsum dicitur ostendisse & manu sua e-  
um obtexisse. Oportet utique vel verbis ipsius Dei fidem ad-  
hibeamus, qui apparebat, qui loquebatur, qui se movebat,  
quem videbant, quemque audiebant. Iskane dicemus illusio-  
nem? An vero simplicem creaturam, aut Angelum aliquem  
creaturn simpliciter adfuisse putabimus? Huc Theologi plerique  
ad angustias adacti recurrere coguntur, causantes, An-  
gelum hunc simplicem quidem creaturam fuisse, at perso-  
nam Dei representasse, atque illa in ejus persona verba fe-  
cisse. Verum hæc interpretatio coadha est, iniurata est, fal-  
sa est. Angelus ille verbis absolutus, nulla addita restric-  
C ne,*

*nē, nulla explicatione directe dicit, se esse Dominum, se Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi. Imo idem se ab Angelo creato expresse distinguit, quem pro se substitutum mittere volebat, uti mox videbimus. Unde si creaturam adjuvare dicendum est, sicut utique creature & Angelus ille Deo personaliter unitus, quique cum ipso eundem unum Deum aeternum constituebat.*

### Disquisitio hujus loci.

1. Gratissimum mihi est, virum clarissimum, PERTINENTIA POIRETUM, hac in parte laudabiliter a Socinianis, & ab Arianis etiam, dissentire, quod Christum habeat pro Deo illo magno, qui in veteri testamento identidem JEHOVAH appellatur, & qui Israelitis apparuit. Utinam auctor iste, quem in appendice libri Zeyfani, *Exegetische Special-Einleitung in das Evangelium/ Episteln und Offenbahrung Johannis von der wahren Gottheit Jesu Christi/ refutavi*, & qui in aliis doctrine partibus Poiretum pressे sequitur, hic potius eum ducem fuisse fecutus!

2. Speciem istam, in qua Messias Mosi & Israelitis se aliquo modo, obtegente nimirum nube, conspicuum exhibuit, non fuisse corporis ὑποστάσης uniti, sed tantum παραστάσης assumti, supra evictum est.

3. Auctor pro more suo h. e. fatis acerbe, insurgit in rectius sentientes: Mirari, inquiens, subit supinitatem, qua non videmus, quam parum rationis, quantum violentie & quantum incommoditatis habeant interpretationes omnes allegoricae &c. Suam vero ipsius supinitatem hermeneuticam & dogmaticam, uti ab omni ratione alienam, ita violentia & incommodis refertam non animi-

animadvertisit, sed eadem abreptus est ad judicium hoc  
ab æquitate sejunctum.

4. Nec ipsum excusat sinistra ista quorundam interpreatio, qua, quæ de angelo *ἄρτισῳ* dicuntur, de creato, atque ita non de creatore, sed de creatura, intelligunt. Non enim ignorabat, hanc sententiam, ut falsissimam, ab omnibus melioris notæ interpretibus repudiari, & loca ista adducta de Filio Dei explicari.

5. Falsum est, theologos plerosque hic in angustias fuisse redactos, & loca ista de angelis creatis, tanquam personam Dei repræsentantibus, interpretatos esse. Crediderim Auctorem hic, vel ipso conscientię in consilium adhibitæ monitu, a *ψευδομαρτυρείᾳ* hac potuisse abstinere. Cui quando deinceps inhæret, pugnat cum larvis.

6. Totus Auctoris sermo, quem a p. 799. per integras tres paginas sequentes continuatum exhibet, nervis caret. Id enim adfirmat adductisque locis adstruit, quod nemo negat, præcipue in ecclesia Evangelica, scilicet, Anglum, qui Mosi apparuit & Israelitarum dux fuit per deserta, fuisse ipsum JEHOVAM, FILIUM Dei. Hoc etiam illud doctrinæ momentum est, quod post alios ego quoq; pro meo cognitionis modulo in *Historia Ecclesiastica V. T.* passim ex instituto adstruxi.

## Locus VI. p.'801.

*Quibus perpensis, lectores penitus convictos persuasos que arbitror de veritate, quæ omnibus ante dictis, tanquam fundamentum, substernitur, puta, Deum paulo post Creatio-*

C 2

nem

## IPSA TRACTATIO ELENCTICA

nem hominis, & dudum ante adventum suum ignominiosum  
in terras, cum natura humana personaliter unitum fuisse.  
Nisi hæc veritas foret, tot loca, quæ modo vidimus, aliaque  
non pauca, quæ afferri pariter possent, totidem enigmata fo-  
rent nulla arte evolvenda, in quibus characteres potius tene-  
brarum atque erroris, quam veritatis, occurrerent. Atque,  
ut unum alterumque adhuc subjiciamus, quomodo intelliges,  
quod in ultimis quinque capitibus libri Jobi indicatur, De-  
um Jobo corporaliter locutum fuisse, qui hanc ob causam di-  
cebat: Jobi 42. v. 5. Auditu auris audivi te: ai nunc oculus  
meus videt te. Vir sanctus intelligit auditum ac visum ex-  
ternum atque corporalem, dicitque, quod Deum utroque hoc  
sensu perceperit. Si dicas, Deum ei in phantasmate, aut cor-  
pore mutuato apparuisse, dices illum non Deum, sed quippi-  
am peregrinum vidisse, quod pugnat tum cum protestatione  
ejus expressa, quam modo vidimus, tum cum veritate, quam  
idem alibi jam declaraverat, qui procul dubio Redemtorem  
suum non semel tantum viderat: etenim jam antea dixerat:  
Jobi 19. v. 27. Videbo eum, & oculi mei viderunt eum, &  
non peregrinum quendam. Sic habent verba authentica, quæ  
primum tempore futuro, deinde præterito utuntur, quasi di-  
catur: Videbo eum in posterum; imo oculi mei jam viderunt  
eum, neque pro ipso viderunt peregrinum quippiam aut cor-  
pus mutuatum. Itaque Jobus testabatur in iis spem qua re-  
surrectionem suam, nec non Corpus Dei Redemptoris sui novis-  
sima die sibi videndum, exspectabat: utque ejusdem spes fun-  
damentum offendiceret, declarat, Redemptorem suum jam tum  
in corpore viventem existere, seque oculis suis eum jam con-  
spexisse, quem & ultima die confunditus erit.

Disqui-

## Disquisitio hujus loci.

1. Magna sane, sed inanis, fuit Auctoris nostri persuasio de convictione apud lectores suos obtainenda. Fundamentum enim posuit lubricum, cui quidquid superstruxit, cum eodem corruit, uti vidimus haec tenus.

2. Falsum est, loca, quæ de Messiae apparitione & commercio cum patriarchis familiari agunt, ænigmata esse, tenebrarum & errorum plena, sine admissa novella ista hypothesi. Contrarium vidimus supra in thesi veræ sententiæ dogmatica. Lux, quam Poiretus istis locis accedit, est erratica: quæ uti hæc nequam illustrat, sic ea, quæ de vera Christi nativitate agunt, in meras tenebras convertit, uti infra percipiemus.

3. Jobus Deum non aliter vidit, quam se ipsi revelaverat. Jam vero Deus cum ipso locuturus se quasi induit turbine, seu nube procellosa c. XXXVIII, i. XL, i. quo signo se etiam alias singulari modo præsentem exhibuit • Reg. XIX, ii. Ezech. I, 4. Ergo Jobus ut Deum audivit e nube ista loquentem, ita etiam eundem in hoc signo conspicuum vidit.

4. Nec ullam argumenti vim habet locus Jobi posterior. Quid enim hermeneuticæ sacræ peritis est notius, quam quod verbis sensuum, speciatim iis, quæ ab usu oculorum desumuntur, notitia indicetur?

## Locus VII. p. 801. seqq.

*In evangelio Joannis verba occurrunt, quibus Christus ipse aperte confirmat, se Patriarchis apparuisse in corpore,*

C 3

quod

## 22 IPSA TRACTATIO ELENCTICA

quod persone sue pars fuerit. Etenim Iudeos ita alloquitur: Joh. 8. v. 40. Quæreris interficere me, hominem qui veritatem vobis dixi, quam a Deo audivi. Hoc Abrahamus non fecit. Quorum verborum significatio ut rationi congruat, omnino ponendum est, quod Christus homo in proprio corpore cum Abrahamo conversatus fuerit, at longe aliter ab eodem exceptus fuerit, quam a Iudeis, qui eum interficere volebant. Id ni ponatur, responsare utique potuissent Christo afferenti: Hoc Abrahamum non fecisse. Qui vero id Abrahamus facere potuisset, utut vel maxime voluisset, siquidem Christus naturam humanam nondum habebat, in qua cum Abrahamo posset conversari, & eidem coram loqui, ac divinas ei veritates exponere, ob quas Abrahamus cum eo vel bene vel male agere atque adeo vel morte afficere eum potuisset? At secundum hypothesin, causis veritatem docuimus, nihil hic difficultatis supereesse potest. Etenim Christus animæ ac corpori jam tum personaliter unitus, ad Abrahamum sepius venerat, quandoque formam forte Melchisedeci, quandoque alias quasdam formas externas assūmens, quibus lumen gloriæ sue abscondet: unde si Abrahamus eandem malitiā habuisset, quam Iudei, potuerat utique mortem ejus machinari, quippe cum & ei pariter atque Iudeis veritates, easque subinde afferas atque injucandas, dixerit, veluti quando Saræ incredulitatem reprehendebat, eidemque mendacium factum exprobabat; nec non, quando exitium Sodome, in qua cognatus ejus habitabat, annunciatbat. At Patriarcha alio spiritu actus quam quo Iudei, aliter fecit atque illi; tantumque absuit, ut mortem ejus quereret, ut potius eum quam honorificentissime exceptum adoraverit. Atque hoc est fundamentum verborum Christi, quibus Iudeis exprobrat, quod aliter secum agerent atque Abrahamus. Abrahamus namque eum interficere non voluit, quando

## DE HUMANA CHRISTI NATURA.

23

quando Christus ad eum veniens veritates ei divinas exposuerat. Ipsi Judæi satis animadvertebant; verba Christi eo tenuere, ut se se majorem natu Abramam, aut certe ejus coetaneum assereret: idemque in ipso reprehendunt, quippe quem ne quinquaginta quidem annos natum viderent. At Christus hanc eorum instantiam negat, veritatemque quam impossibilem credebant, iis asseverat, puta se tempore Abramini extirisse: imo dicit se ante Abramum fuisse: que verba de natura humana, de qua inter eos agebatur, intelligenda sunt; nequaquam vero de divina, de qua Judæi (quorum cogitationem tunc confutabat) minime cogitabant.

## Disquisitio hujus loci.

1. Haec quidem reliquis fere omnibus sunt speciosiora; at nullius ea roboris esse, jam videbimus.
2. Christum, se patriarchis in corpore apparuisse, APERTE confirmasse, ex ejus sermone non liquet, sed Author noster inde tantum per consequentiam haud genuinam elicit.
3. Phras: *queritis me interficere*, Christus Judæorum notat odia, quibus adversus ipsum ardebant. Cum vero iidem jaetassent, Abramum esse patrem suum, Christus ipsos correpturus ait: *Abrahamus hoc non fecit*, innuens, ipsum adeo ab odio in Messiam & promissam ejus gratiae oeconomiam fuisse alienum, ut potius vera ipsum fidei fuerit complexus. Hic videt unusquisque, verba ista haud coacte hunc gignere sensum. Nec Judæis Christus Abramini exemplum contrarium his verbis fuisse objecturus, nisi ipso ad eundem præsidenter provocasset. Quare Christi verba non trahenda sunt ultra ejus scopum, e suppeditata  
sic

24 IPSA TRACTATIO ELENCTICA

sic loquendi occasione metiendum. Jāctantiam enim  
ipsorum his retuderat verbis: *Si Abrahāmī filiū effet, fa-  
ceretis opera Abrahāmī.*

4. Si Judæorum exceptio, quam Poiretus fingit,  
fuisset idonea, etiam hæc secundum hypothesin ejus-  
dem locum fuisset habitura: *Qui vero Abrahāmū id fa-  
cere potuisset, utut vel maxime voluisset, siquidem Christus eo  
tempore corpus habuit gloriosum & incorruptibile, quod cæ-  
dis haud fuit capax?*

5. Vide, lector, quibus se difficultatibus invol-  
vat Auctor. In sententia ecclesiæ christianæ univer-  
sali ferre nequit, quod statuitur, Christum in V. T. se-  
cundum singularem oeconomiam ad aliquod futuræ  
missionis & ἐνταξιστεως præludium, in corpore aliquo  
sibi tantum ad certos actus παραστατικῶς & ὀργανικῶς u-  
nito apparuisse; & nihil tamen minus hoc ipsum ad  
tuendam suam ipsius hypothesin cogitur admittere.  
Quia enim Filio Dei adscribit, corpus splendidum  
& gloriosum, is tamen in corpore magis communi ap-  
paruisse dicitur, novam & aliam, seu vulgarem, ipsi  
corporis formam adsumtam tribuit, qua corpus illud  
gloriosum obtexerit: *Christus, inquiens, ad Abrahā-  
mū sapienter venerat, quandoque formam forte Melchisedeci,  
quandoque alias corporis formas externas assūmens, quibus  
lumen gloriæ sue absconderet.* Jam quomodo is, qui  
Christo jam tum in V. T. duplicem duplicitis formæ cor-  
poralis assumptionem tribuit, unam ὑποστατικὴν, alteram  
παραστατικὴν, simplicem absurditatis potest arguere?

6. Quando Poiretus ex illa Christi reprehensione de negato Abrahāmi factō infert, Judæos satis a-  
nimadvertisse, verba Christi eo tendere, ut se majorem na-  
tu

## DE HUMANA CHRISTI NATURA.

25

*tu Abrahamo, aut certe ejus cœtaneum affereret, saltum committit in sermone Christi. Non enim id Judæi colligebant e prioribus ipsis, sed post interjecta plura tandem ex hisce posterioribus verbis, quæ exceptionem istorum proxime præcedunt: Abrahamus pater vester exultabat, ut videret diem meum, & vidit & gavisus est. His enim prolatis sequitur ἀπόστολος: Dixerunt igitur Iudei ad ipsum: quinquaginta annos nondum habes & Abrahamum vidisti? Quam exceptionem quando Christus ita resellit, ut dicat, se Abrahamo utique esse priorem, id nequaquam intelligit de natura humana, quemadmodum Poiretus per petitionem principii contendit, sed de divina, uti postulant argumenta, supra in veræ sententia confirmatione prolatæ.*

## Locus VIII. p. 801.

*Nonne vero post tot observationes quas modo vidimus, apertissime liquet, Christum non sine ratione manifesta dixisse: Job. 5. v. 39. 46. Scrutamini Scripturas; illæ testantur de me. Paulum autem ad easdem veritates veluti digitum intendere, quando fidelibus Corinthiis scribens, ait: 1 Cor. 10. v. 9. Ne tentemus Christum, uti nonnulli (Israelitarum) eum tentarunt; & a serpentibus perierunt. Ergo Christus inter eos adfuit.*

## Disquisitio hujus loci.

1. Observationes Auctoris nostri singulas nullius plane momenti fuisse, quilibet prudens lector procul dubio convictus est. Sine ullo igitur fundamento iste ad consequentiam hypotheseos suæ apertissimam provocat.

D

2. Cer-

2. Certe quis sine manifesta verborum detorsione & illata vi aliquid praesidii pro ista ἐνταξιστεως Christi sententia ἀγέαφω & ἀντιρράφω quereret in his Christi verbis: Scrutamini scripturas: ille testantur de me. Moses scripsit de me. Moses scripsit de me. Ergo scripsit de humana mea natura, jam tum ex ipso Adamo assumita. Scripturæ testantur de me. Ergo testantur de ἐνταξιστεως non solum futura, sed etiam jam facta. Sic argumentatur vir doctissimus. Quis vero in viro docto tam ineptum argumentandi modum non mirabitur?

3. Posteriorem vero illationem, quam idem e verbis Pauli ad Corinthios facit, ergo Christus inter eos adfuit, concedo totam, ita vero, ut nihil minus, quam quod Poiretus intendit, per hanc concessionem admittere cogar. Christus enim inter Judæos adfuit non solum natura divina, sed etiam future ἐνταξιστεως & redemtionis representatione & typica adumbratione multiplici, præcipue in columna nubis & ignis, in tabernaculo, & speciatim in sacrificiis, multisque praefentiam suam miraculis populo Israelitico probavit.

### Locus IX. p. 803.

Vides hic Veritatem magnam atque insignem, eandemque clavem, qua infinita nobis panduntur lumina admiranda, que loca innumera sacrarum tabularum viasque Dei charitate erga homines plenas & adoratione dignissimas mirifice explanant. Que veritas rara atque incomparabilis quo minus ab omnibus recipiatur, una ratio impedit, videlicet quod ejus debetio & tot locorum Scripturæ S. que eadem indicant interpretatione, non per Patrum Veterum aliquem, neque per cele-

## DE HUMANA CHRISTI NATURA.

27

celebrem Scholarum Doctorem tradita nobis inveniatur, sed per (D. Antoniam Burignoniam. Vide Ejus Lapidem Lydium, num. 94--97. 127. Testim. Verit. 1. Part. n. 220. 379. &c. Edit. Gallic. Stellam Maturin. Epist. 2. Spirit. Evang. 2. Part. n. 110.) indoctam Virginem, cui tamen Deus eatenus sese manifestandum creditit, utut barbatis quibusdam id minime sapiat. Quid vero hic facias? Neque enim qui studis atque auctoritate valet, eo ipso & secreta Patris novit. Matth. XI. v. 27. Filium nemo novit nisi Pater ---- & is cui ipse filius id revealare voluerit. Atqui Deus id Veteribus eatenus revelare non voluerat, cujus quidem rei testim habere possemus Virum virae puritate ac familiari commercio Dei, inter omnes qui superioribus seculis vixerunt, excellenissimum Johannem Climacum: Is rem memoratu dignam, que ad presentem materiam pertinet, de se ipso sic prodiit: [in Scala sua Grad. 27. num. 41.] Postquam Deus, inquit, jam mihi gratiam concesserat, ut oratione perpetua fruerer, die quadam medios inter Angelos versabar, & unus eorum explicabat mihi ea, quorum cognitionem summopere anhelabam. Alio tempore, quum iterum inter eos egerem, querebam ex eo, qualis fuerit status Filii Dei, antequam formam humanam visibilemque naturae nostrae assumeret, (per incarnationem, qua in mundum hunc corruptibilem ad nos descendit:) ut ille hoc mihi explicare non poterat: etenim Filius Dei ID IPSI NON PERMITTEBAT. Quamobrem vero? quoniam Deus temporibus novissimis hoc reservandum volebat ob causas (infra Cap. XVIII. n. 16. 17. 18.) deinceps dicendas, & nominatim quidem, ut Organum quoddam peculiare luminum Spiritus S. hoc charactere proprio insigniret demonstraretque. Neque enim ab alio quopiam, preterquam a solo Deo, venire poterant lumina cogitationes hominum omnes tantopere transcendentia, & ta-

D 2

Intra



men adeo clara planaque & quidem in ea materia, quam omnes sibi familiarem reddere debuerunt; que tamen, licet Scripturæ verbis manifestissime declareretur, tam parum adhuc intellecta fuit, ut optimi quique coacti sint fateri in verbis (Exod. 33. v. 22. 23.) Scriptura que hoc pertinent, subesse mysterium, cui evolvendo sit omnino impar, quicquid ab hominibus adhuc traditum cognitumque invenitur. Verum iste de hoc articulo sufficient.

### Disquisitio hujus loci.

1. Prima transcripti sermonis periodus nihil habet, nisi falsam illationem e premissis, quarum falsitas haec tenus detecta est.

2. Nova ista hypothesis quo minus pro veritate ulla, nedum magna & insigni, raraque & incomparabili, quibus epithetis eam Auctor exornat, recipiatur, haec una ratio impedit, quod nullis rationum praesidiis munita sit, sed tantum alicujus foeminae magisterio, falso creditæ revelationi superstructo, & in universam ecclesiam christianam affectato ac usurpato, nitatur. Si unquam alias, certe in novis fidei mysteriis, e propria phantasia obtrufis, valeat illud Pauli effatum: *mulier taceat in ecclesia!* 1 Cor. XIV, 34.

3. Habemus hic ingenuam confessionem de dogmatis, antea in universa omnium temporum & seculorum ecclesia plane inauditi, novitate; item de cœco obsequio, per quod vir alias acutissimus se dictaturæ unius foeminae penitus mancipavit, adeo ut religioni sibi duceret, ejus pronuntiata vel tantillo examini subjecere.

4. Locus Matth. XI, 27. *huc non pertinet. Nam agit*

DE HUMANA CHRISTI NATURA. 29

agit de revelatione non reconditi alicujus & ad salutem haud necessarii mysterii, sed de via ad salutem, seu de salutari Patris ac Filii agnitione, quæ permultis evangelii annuntiatione, per ablegatos LXX discipulos facta, obtigerat. Conf. Luc. X, 1--21.

5. Si Deus veteribus hanc veritatem non revelavit, eam nec Abrahamus, nec Judei, quibuscum Christus sermocinabatur Jo. VIII. habuerunt cognitam. His vero ejus notitiam antea tribuit Auctor; utpote qui semel iterumque confessus est, Abrahamo & Moysi aliisque Patriarchis eam fuisse ipso etiam usu perspectam & comprobata, Judæos vero ex ejusdem veritatis suppositione non negasse argumenti consequentiam in verbis: *Hec non fecit Abrahamus.* Videmus itaque, quam parum sibi Auctor noster in novis suis theologumenis constet.

6. Utrum Joanni Climaco elogium illud *vita puræ & familiaris cum Deo commercii* præ aliis conveniat, nec ne? nunc non disquiram: at hoc est, quod cum plerophoria nego, locum istum quidquam probare. Est enim negativus de eo, quod Filius Dei non revelaverit. Et licet affirmativus esset quam maxime, nihil tamen haberet roboris. Nam qualis testis & auctor, præcipue in novis fidei mysteriis proponendis, tale testimonium, talis auctoritas. In his enim ne angelus quidem de cœlo audiendus est, nedum Joannes Climacus. Alia etiam est divina revelatio, alia hominis phantasia, falsis revelationis simulacris delusa. Quanta vero Poireti in iis fuerit credulitas, quanta deceptio, quis vel ex hoc uno loco non videt & miratur?

D 3

7. Re-

7. Remittitur hic lector ad cap. XVIII. §. 16, 17, 18.  
*ubi causae afferuntur, quare Deus eo tempore res futuras  
 predixerit, quo tamen intelligi nondum debuerint?* Sed re-  
 dit res universa ad petitionem principii, seu suppo-  
 siti nondum probati, nedum concessi, scilicet quod  
 Deus res futuras olim voluerit predicere, nec tamen  
 eo tempore intelligi. Sermo enim est non de gradi-  
 bus, sed de ipsa intelligentia.

8. Et quis non videt argumenti infirmitatem:  
 Deus Filii sui ἐνσάρκωσιν priorem noluit revelare Cli-  
 maco, quia decreverat hoc mysterium per Burignoni-  
 am patescere. Si hoc non est circulum committe-  
 re, quid tum est?

9. Si hujus mysterii notitia non nisi a solo Deo,  
 ἀπόστολος & extraordinarie revelante, venire potuit, ec-  
 cur Auctor ejus evidentiam e Scripturis veteris & no-  
 vi testamenti demonstrare annis est, & ita quidem,  
 ut negantibus & dissentientibus supinitatem & interpre-  
 tationem violentiam tribueret? Haccine est mathematica  
 scribendi ἀνέβασι?

10. Hæc hactenus de eo, quod POIRETUS ἀ-  
 γραφον quandam, immo ἀντίγραφον Christi ἐνσάρκωσιν  
 statuit. Nune videbimus, quomodo verum illud u-  
 nice ἐνσάρκωσεν mysterium, ut cum hypothesi sua  
 conciliet, quantum in ipso est, depravet.

## Locus X. Oecon. Lib. IV, c. II. §. X.

p. 63, 64.

*Quod (obire mortem) ut exsequeretur Divina hæc  
 Majestas, carnem nostram mortalem in gremio Virginis as-  
 sumet.*

## DE HUMANA CHRISTI NATURA.

31

sumere voluit, eademque corpus suum gloriosum obtegere. Hic vero rationis vis non parum desciat, adeoque illa a difficultatibus movendis minime abstinebit. Primo enim causabitur: Quandoquidem Christus, juxta ea quae nos tradimus, jam tum habuit corpus gloriosum (vid. Lib. II. cap. XI. num. 15. 16. & Lib. III. Cap. XVI. num. 3. &c.) ex Adamo assumtum, quod staturam hominis perfecti jam attigerat, fieri non poterat, ut illud ad angustias gremii Virginis redigeretur, quin destrueretur atque desiceret. Deinde dicet, Quoniam Christus ex substantia Sancte Virginis corpus sibi assumere debuit, corpus ejusdem gloriosum ibidem adesse non potuit: nam cum vere corpus esset, non potuit eodem in loco adesse, in quo erat materia alia: quippe nulla datur corporum penetratio. Verum ex iis que superiore libro vidimus, satis aperite, ni fallor, constare debet, humana Rationem in operibus Dei nihil perspicere & naturalm corporum penitus ignorare, licet vel maxime audacter arroganterque de eadem garrire presumat. Sufficit ad difficultates a Ratione allatas dissipandas, reponere, Deum, ubi voluit, facilissime corpus suum reducere potuisse ad eandem formam eandemque statu parvitudinem, quam tum habuit cum ex Adamo prodiit, ita tamen ut ipsum corpus ideo non destrueretur, nec unio ejusdem cum anima dissolvere tur; quandoquidem utraque in embryonis forma subsistere novimus, cuius utique corpus intra angustias gremii mulieris contineri potest. Ubi olservari meretur, Scripturam sacram ubi de incarnatione Christi loquitur, dicere [Phil. 2. v. 7.] quod se ipsum evacuaverit, [*ἐκένως*,] tenuemque se & exiguum reddiderit eundem in finem, sive, ut formam servi indueret, qui antea formam divinam habuerat. Hoc autem in statu, ut difficultati alteri saties facia-

faciamus, nihil utique impediebat, quo minus Deus corpus suum ex celo in terram, inque finum Virginis transferre potuerit, & quidem in eam substantiae partem, quam induere debebat, unum solum corpus cum ea compositurus.

## Disquisitio hujus loci.

1. Corpus aliud alio, gloriosum humili, obtegere, aliudque alii hac ratione superinducere, est mysterium, ut novitate insolens ac auditu durum atque asperum, sic multo magis creditu ἀδύνατον, maxime cum Scripturæ non solum non conveniat, sed vehementer etiam repugnet.

2. Huic difficultati ingenti facile prævisæ occurrat quidem Auctor, sed ita, ut difficultates nequam tollat, sed tegat tantum, variisque coloribus inducat.

3. Primum quidem accusat officium rationis, sed immerito. Quamvis enim ea sibi relicta in divinis dictaturam usurpare haud debeat, neutiquam tamen usus ejus genuinus removendus est, cum theologia nequaquam sit ἄλογος; nec hermeneutica sacra interpretem admittat ἄλογον. Et cum ipse Auctor facultate rationis naturali præ multis aliis fatis largiter fuerit instructus, dolendum est, ipsum Burignoniæ, tanquam Delilæ cuidam, semet enervandum mancipasse.

4. Dubiis per occupationem propositis ita respondet Auctor, ut dicat: *Verum ex iis, que superiori libro vidimus, satis aperte, NISI FALLOR, constare debet, humanam rationem in operibus Dei nihil perficiere* &c.

cere &c. Gravissime vero falli ipsum, identidem demonstravi haec tenus. Et ad rationis usum quod attinet, non minus fallit ejus neglectus, quam superbiens magisterium. Ipse Poiretus in erroribus suis adstruendis & exornandis non raro permultum ratiocinatur, utpote in excogitandis applicandisque pigmentis non parum ingeniosus, adeo ut crederes, omne ipsi præsidium in solo rationis ministerio, aut potius magisterio, esse; siquidem Scripture sacra plerumque aut nullam plane, aut superviciariam tantum, mentionem facit. At quando suis sanioris doctrinæ corruptelis a ratione timet, ejus usum contemtim habet & explodit: uti hic vides, ubi ea non solum naturam corporum penitus ignorare, sed etiam vel maxime audacter arroganterque de eadem garris dicitur.

5. Sufficit, porro inquit, ad difficultates a ratione allatas dissipandas reponere, Deum, UBI VOLUIT, facillime corpus suum reducere POTUISSE ad eandem formam, eandemque staturæ parvitatem, quam tum habuit, cum ex Adamo prodiit n. t. a. Quis non videt hujus argumenti nullitatem, ut ita loquar? Idem enim est ac si dixero: Si Deus voluit plura hominum ac bestiarum habitacula condere, illis etiam lunam replere potuit. Sed num hoc est, rem probandum, lunam incolas habere, probare? Probandum erat Poireto, voluisse Deum corpus corpori induere, & hoc revera fecisse. Deserto autem probandi officio lectorem suum circumagit hypothetico argumentandi modo, ubi antecedens est falsissimum, &

E

tamen

34 IPSA TRACTATIO ELENCTICA  
tamen pro veritate indubitata & quasi jam concessa  
venditatur. Sic supra: poterat, poterat, poterat. PO-  
TERAT Deus corporaliter quodammodo cum homine com-  
municari, HINC SEQUITUR, Deum istud non tantum  
ex eo tempore facturum se decreuisse, sed & reipsa fecisse.  
se. u. t. λ.

6. Novum in loco supra transcripto audio fal-  
so creditae *ιντερπρετωσις* portentum. Supponit hic  
Auctor, Filiū Dei naturam humanam ex Adamo as-  
sumisse ea statu& forma & parvitatem, qua ex utero Ma-  
rie virginis prodiit. Nam, respectu ad minimam hanc  
staturæ mensuram habito, dicit: potuisse Deum cor-  
pus suum reducere ad eandem staturæ parvitatem,  
quam tum habuit, cum ex Adamo prodiit. Statuit  
itaque Christum non majoris mensuræ corpus ex A-  
damo assumentem, quam e Maria assunserit. Quod  
hypothesos per se jam portentosæ assumentum  
quam absurdum sit, quis non videt? Et hoc ipsum  
ipſi Poireto supra, cum novum suum dogma pro-  
cuderet, nondum in mentem venisse videtur; fiqui-  
dem istius ibi nullam plane mentionem injicit. Hic  
vero demum, ubi se in objectione de angustia uteri  
Marie & parvitate assunti corporis se in angustias  
redactum vidit, illico hoc habet *τύρημα* de eadem  
parvitate corporis, ex Adamo assunti. Quantus  
labyrinthus, quanta doctrinæ perplexitas se hic non  
prodit! Quod si enim Filius Dei naturam humanam  
ex Adamo assumisset; ecquis crederet, ipsum as-  
sumisse corpus staturæ longe imperfectioris, quam  
illud fuit, quod efformata ex Adamo Eva habuit?

Siccine

DE HUMANA CHRISTI NATURA.

35

Siccine Filius Dei etiam in primo illo corpore suo statuta crevit? Quomodo hoc commentum consistere potest, cum illa perfectionis & claritatis gloria, quam Auctor priori isti corpori adscribit? Certe hæc nova ipsius theologumena non melius cohaerent, quam ægri hominis somnia.

7. Locum Pauli Phil. II, 7. & in eo speciatim verbum ἐνέσως de incarnatione Christi accipere, & quidem tali, qua is corpus corpori superinduxerit, & corpus pristinum ac gloriosum in embryonis & servi formam redegerit, quid est, nisi per petitio- nem principii τῆς υπόθεσες διλέγειν? Christi κένωσις supponit πληρώμα. Jam vero humana Christi natura e Maria assumta accepit omne divinitatis πλήρωμα, ideoque uncta dicitur, & ab ea unctione Filius Dei *Messias* vocatur. Ergo κένωσις nihil est aliud, quam abdicatio pleni ictius communicati πληρώματος usus, & statum exinanitionis constituit: qui quidem ἐνάγκωσιν omnino supponit, ab ea tamen utique distincta est.

8. Mira sane futura fuisset compositio corporis cum corpore & animæ cum anima. Etenim anima & corpus perfectum constituunt hominem. Unde si Filius Dei utramque partem primum ex Adamo, deinde e Maria, assumisset; duplicem habetemus hominem Christum. Quod sane non est fidei mysterium, sed ægræ phantasiæ commentum. Si quis vero naturam illam humanam, quam Salvator noster e Maria assumit, non esset habiturus pro

E 2

inte-

integra, sed tantum pro naturæ pristinæ & gloriose  
indumento aliquo; quo tendere videtur mens Poireti: in quem non is equulei hermeneutici labyrin-  
thum, in quas difficultates, nullo modo solubiles,  
& in quo non absurdâ se esset conjecturus?

9. Hypothesi sua sic inculcata Auctor §. XII.  
p. 64, 65, 66. prolixum necit sermonem, eoque phi-  
losophatur de natura corporum naturalium diversa,  
ostendens, quo modo unum penetrare possit & so-  
leat ab alio, scilicet crassius a subtiliori, cum appli-  
catione ad utrumque corpus Christi, hac ratione  
difficultatem, qua sententiam suam premi animad-  
vertebat, sublaturus. Sed verba sunt & inania Φι-  
λοσοφίας: utpote quæ, et si per se vera sunt, ad  
rem presentem applicata, illi non magis conveni-  
unt, quam quadrata rotundis. Nam 1.) in mundo  
dari corpora diversa nemo nescit, sed a Filio Dei  
diversum assumptum esse corpus, nondum proba-  
tum est, nec unquam probabitur, sed est Burigno-  
nianæ mentis phantasma. Non entis vero nulla est  
applicatio, nulla illustratio. 2.) Aliud est, corpus a  
corpore penetrari & utrumque inter se uniri; aliud,  
corpus, quod nondum existit, ab alio ita assumi,  
ut primum radicaliter existat, & deinceps paulatim ad  
integritatem justamque staturam emergat, & unum  
essentia corpus constituat, duos habens animas hu-  
manas.

10. Sermo iste Poireti prolixior clarius indi-  
cat, quale corpus Adamo & Christo gloriolum ad-  
scribat,

DE HUMANA CHRISTI NATURA.

37

scribat, nimirum tale, quod *subtilitate sua ipsam radiorum solarium materiam superaverit.* Quæ sane otiosæ mentis chimæra est.

ii. Tandem vero prolixo isti sermoni hoc subiungit epiphonema: *Corpus autem Christi, quando carnem & sanguinem beata virginis induerat, non magis fuit compositum aliquid duobus corporibus diversis consistens, quam vestis candida ac luminosa, quæ forte in tincturam crassam opacamque demersa materiam illam, quæ hujus opacitatis causa exsistit, imbibit, duplex deinde vestis, aut duas vestes diverse dici potest.* Verum enim vero 1.) aliud est rem aliquam cum alia comparare, aliud eam probare. Quod probare non potuit, aliquo modo illustrare annititur Poiretus. Non entis vero nulla est illustratio. 2.) Ipsa etiam illustratio est inepta. Etenim a vestis candidæ immersione in tincturam crassam ad duplicem Christi *iv&apostoliv* nequaquam valet consequentia, quia utrinque nulla veri nominis analogia intercedit. Nam Christus e Maria non aliquam naturæ humanæ tincturam & spumam assumit, sed naturam integrum, corpore & anima constantem: quæ una cum natura illa Adamica non potuisse non duas constituere personas Christi humanas.

Locus XI. §. XIII. p. 66.

*Quæ si recte obseruemus, ubi videbimus Scripturam sacram in explicanda incarnatione Christi dicere eum induisse saccum Psalm. LXIX, 12. hoc est corruptionem nostram;*

E 3

nostram;

38 IPSA TRACTATIO ELENCTICA

*nostram; eum a Patre missum esse, eum e cœlo de-  
scendisse Jo. VI, 38. non tantum locutiones sacras, sed &  
veritates, quas tradimus, rectius intelligemus.*

Disquisitio hujus loci.

1. Hermeneutica Cl. Poireti nullius est pretii, eaque ut Socinianorum. Nam Scripturæ testimoniis ille, Burignonianis commentis nixus, non eget, sed tantum utitur, quoties tanquam ex abundantia erroribus suis veri speciem vult inducere. Qui unus merus abusus est.

2. Locum e psalmo LXIX, 12. de *induto sacerdotio* allegatum non agere de incarnatione Christi, sed de statu ipsius afflictissimo inter persecções, vel imperitus etiam lector, cum ex ipsa phraseologia, tum ex integro ejus contextu, viderit.

3. *Christus a Patre missus e cœlo descendit.* Ergo jam tum ex Adamo assumpti humanam naturam subtilem, eaque crassorem sibi superinduxit e Maria. Hæc est visillationis in argumento Poiretiano. Sed sic argumentari, est ipsam rationem conculcare ac in cœnum demergere, pro responsione vero commiserationem mereri.

Quæ §. XIV. & deinceps tractantur, ita adhuc de hac ipsa materia agunt, ut tamen præcipue ad officium Christi sacerdotiale pertineant, illudque misericordis corrumptant. Atque ita peculiari, & proxime

DE HUMANA CHRISTI NATURA. 39  
xime quidem sequenti Dissertatione sub veritatis ex-  
amen vocabuntur.

Ceterum noverit lector benevolus, hunc POI-  
RETI errorem de duplice Christi *ἰνταρσίᾳ* adopta-  
tum esse ab Auctore isto Ariano, cuius nuperum  
scriptum Arianum (quod virus propinat ex parte  
ipso Sociniano pejus) nuperrime refutavi in Appen-  
dice, egregio subjuncta libro reverendi Pastoris  
ZEYSII, qui inscribitur: *Exegetische Special-Einlei-  
tung in die Schriften des Apostels St. Johannis:*  
darinn die Evangelische Haupt-Lehre von der wah-  
ren Gottheit Iesu Christi wieder die falschen Glos-  
sen und offenbahren Verdrehungen der Socinianer  
deutlich vorgetragen und gründlich gerettet wird.

Remisi istius appendicis lectorem ad præsen-  
tem hanc tractationem. Et hac etiam si-  
mul isti auctori esse satistactum, est  
quod confido.

---

**N**unc reddit ille dies, omni mirabilis ævo,  
Summus quo cœli venit ab axe Deus:  
Quo nostro voluit Christus de sanguine nasci,  
Sanguineque heredes adseruisse suo.  
**A**n nobis omnes animi procul este profani,  
Et gens in nugis ambitiosa tuis.  
Conticeant omnes decepti imagine veri,  
Ipse Dei natus nos meliora docet.

Arcanas



Arcanas rerum perquirimus hoc duce causas,  
 Ille aperit tacitos, explicat ille sinus.  
 Corruat hinc error destructus Præside docto;  
 Prodiit ex utero nam Deus ille semel.  
 Talia nunc nobis mysteria pandis amice,  
 Hæc animo certè pabula digna Tuo.  
 Cumque Tibi vellem sexcentos fundere versus,  
 Nunc tenue hoc nostri pignus amoris habe.  
 Dum nostris abiturus agris hæc pulpita scandis,  
 Ingenii promis nobilioris opes.  
 I bone, vive memor, quo cunque sub æthere, nostri,  
 Ipse Tui vivam tempus in omne memor.  
 I bone, vive! vale (quid votis amplius addam?)  
 Conspirent votis fata benigna meis.

Quibus Præstantissimo Domino Respondenti, de felici  
 studiorum successu atque colophone gratulatur  
 Opponens.

M. SAM. FRID. WEITZMAN,  
 Fridebergæ Neo-March.



73 5225

ULB Halle  
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DISSESSATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
NONA,  
QVA  
**COMMENTUM**  
**DUPPLICIS**  
**INCARNATIONIS**  
**JESU CHRISTI,**  
*QUOD VIR CL. PETRUS POIRET,*  
ERRORIBUS SUIS DE CHRISTI  
SATISFACTIONE INTER ALIA SUBSTERNIT,  
IN ALMA FRIDERICIANA  
*Die Decembris hujus M DCCXIX anni*  
curate examinatum disjectumque refutatur:  
P R A E S I D E  
**D. JOACHIMO LANGIO,**  
S. THEOL. PROF. ORDIN.  
ET RESPONDENTE  
**GODOFREDO NASSIO,**  
BILFELDENSI WESTPHALO.  
*HALAE MAGDEBURGICAE,*  
Typis, JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

61.

